

Prologus auctoris in librum Exodi.

Reuerendissimi in christo patris et domini / dñi Hugonis rē. Cardinalis primi de ordine sancti Domnici in postilla sup Exodum / Prologus.

Runt quinque ciuitates in terra egypti / loquentes lingua chanaanica: Esa. xix. c. Quinque ciuitates / quinque libri moysi sunt: qui et ciuitates ad habitandum / et panes ad reficiendum dicunt: Matth. xiiij. b. Et lapides de torrete / ad goliam interficiendum. j. Reg. xvij. e. Et quinque portie piscine phatice / ad egros continendum: Job. v. a. Et quinque verba apostoli: que vult loqui in ecclesia dei. j. Cor. xiiij. d. In his ciuitatibus habitant sancti: quorum voluntas in lege dñi: et in lege eius meditantur die ac nocte. Vñ Cant. v. c. Oculi eius sup riuos aquarum. De his ciuitatibus dicit in Ps. Et edificabunt ciuitates iude. Corruerunt enim he ciuitates per traditiones phariseorum: nec erat qui habitaret in eis. Vñ Ecce. xxx. g. In die illa: cum mundauero vos ab omnibus iniquitamentis vestris: et habitare fecero vrbes: et instaurauero ruinosas etc. Unde Amos vlti. d. Conuertat captiuitatem populi mei israel etc. Destruutores quidem legis fuerunt pharisei. Esa. xlix. e. Venerunt destructores tui destruentes te etc. Primum autem reedificator: fuit dñs ipse. Matth. v. b. Non veni soluere legem sed adimplere. Vñ Act. j. a. Cepit iesus facere et docere. Ille quippe legem implet qui prius facit quod postea docet: et reedificat legem / destructores eius arguendo. Matth. xv. a. Irritum fecistis etc. Job. vij. c. Nonne moyses dedit vobis legem etc. Secundi reedificatores fuerunt apostoli. Ro. iij. d. Legem ergo destrui / p fide: Absit: Sed legem statui. Tertij reedificatores fuerunt sancti expositores: Augustinus / Gregorius / Hieronymus / Hilarius / Isidorus / Origenes / Eusebius / Rabanus / Beda / Radulphus / Beda / Dionysius / Hippolytus / Damascenus / Chrysostomus / Ambrosius: et multi alij: vnusquisque offerens in tabernaculo domini p suo modulo facultatis. Hec igitur ciuitates iude. i. lex data iudeis in terra egypti. i. apud gentes / lingua loquuntur chanaanica / spiritualiter intellecta. Inter has ciuitates / vna est que vocat ciuitas solis: que specialiter et proprie coparatur Exodo: qui inter quinque libros moysi (vt dicit Rabanus) excellentiam obtinet et primatum. Ibi enim omnia sacramenta / quibus ecclesia dei instituit / figuratim exprimitur. Et bene dicitur ciuitas solis: Ibi enim effectus duplex veri solis exprimitur: Nam filios israel de fornace ferrea egypti liberatos p ipsum / ostendit: et eisdem dum essent in tenebris egypti positi / clare illuxit. Vñ infra. x. f. Ubiqueque habitabant filij israel lux erat. In hac igitur ciuitate solis / christi et ecclesie plenitudo et lucidius mysteria continentur. Per corporalem enim exitum de egypto / intelligitur spiritualis exitus de peccato. Per agni immolationem et populi liberationem / christi passio / et nostra redemptio. Per mare rubrum et pharaonis exercitus submersionem / baptismus et remissio peccatorum. Per manna de celo datum / altaris exprimitur sacramentum. Per aquam de petra manantem / doctrina christi / ecclesie sordes lauans. In monte dante precepta atque iudicia / vt diuinis subiiciamur disciplinis. Tabernaculum et vasa eius instituntur: cultus et sacrificia imperant: quibus ornatus ecclesie et spiritualia sacrificia significatur. Mystica vinctio et thus et thymiana conficiuntur: quibus sanctificatio spiritus et orationis odoramenta commendantur. Aaron et eius filij sacris vestibus induuntur: euangelici sacerdotes / donis et virtutibus adornantur. Per hec factis patet pertinencia totius libri. Ordo vero manifestus: Et ordine tam historice quam allegorice / post Benesim ponit immediate: quia in fine Benesim actum est de ingressu filiorum israel in egyptum: in principio huius libri agitur de egressu. Tres in Benesim actus est de carnali generatione / per quam omnes nascimur filij terre: in hoc libro agitur de spirituali regeneratione per quam renascimur filij gratie: que in maris transitu figuratur. Scriptus est enim liber intus et foris: sicut et alij libri veteris testamenti. Legitur enim ita: quod tabernaculum in duas partes distinctum est: per quod ecclesia figuratur: Cuius prior pars intelligitur synagoga: posterior ecclesia presens. Fecit autem moyses operimentum tabernaculi / decem cortinarum / quattuor preciosis coloribus preteritis: quarum quinque erant compositae adinuicem quasi vna continua: prior pars tabernaculi operiebatur: et alie quinque similiter coherentes / posterior pars partem tegebant. Cortina ista / quinque libros moysi significat: que dicuntur fuisse quinque et quinque: non quod decem / sed quod eisdem quinque libris / alio modo texta est prior pars ecclesie: alio modo posterior. Literaliter namque intelligentia textus fuit iudaicus populus: euangelicus vero spirituali intelligentia eorum librorum se contegi gloriatur. Ille sub vmbra littere: iste sub vmbra spiritualis intelligentie requiescit. Ille folia carpit: iste fructus comedit spirituales. Pulchre autem per quinque cortinas / quinque intelliguntur libri moysi: quia sunt quasi vna cortina. i. vna historia continua / quinque voluminibus distincta: quod ab Esdra / qui biblia reparauit / causa tollendi fastidij dicitur esse factum. Quattuor colores cuiuslibet cortinarum / significant quattuor de quibus quilibet quinque librorum moysi principaliter agit. In libro namque Benesim qui est quasi prima cortina / agitur principaliter quasi de quattuor mundi creatione: cataclysmo: caractere circumcisionis: quo deus populum suum quasi gregem a grege distinguit: deinde de ingressu filiorum israel in egyptum: Ecce prima cortina cum coloribus suis quattuor. Secunda cortina est liber Exodi / que pre manibus habemus. Quattuor colores eius sunt quattuor de quibus principaliter agit. scilicet de egressu filiorum israel de egypto et de transitu maris rubri: de datione legis: de constitutione tabernaculi: de vestibus sacerdotum. Patet ergo quod materia huius libri duplex est: Literalis et spiritualis. Literalis sunt quattuor preteritis ad litteram intellecta. Spiritualis vero materia / littera spiritualiter intellecta. Intentio literalis est eadem quattuor per ordinem enarrare: Spiritualis vero ad egressum de mundo et ad constitutionem ecclesie inuitare. Finis primus / spiritualis horum intelligentia: vltior vero finis / per hec spiritualiter intellecta ad eternam gloriam anhelare. Auctor: moyses famulus dei / hominum mansuetissimus: cui deus facie ad faciem loquebatur. Modus agendi hic est: Primo breuiter tangit de introitu filiorum israel in egyptum: et eorum multitudinem. Deinde narrat quomodo surrexit nouus rex in egypto / vnde secuta est afflictio hebreorum. Quod diu enim fuerunt reges egypti de progenie illius qui ioseph sublimauit / propitij fuerunt hebreis: Sed postquam translatus est regnum ad progeniem aliam / ceperunt affligere eos. Postea prosequitur afflictionem hebreorum / et de signis factis a deo. Postea prosequitur de pharaone et de exitu de egypto. Deinde de transitu maris rubri: et submersione pharaonis et exercitus eius. Deinde persequitur progressum filiorum israel per desertum vsque ad montem sina. Postea agit de datione legis. Deinde de constructione tabernaculi / et vestibus sacerdotum: Et tandem terminatur in tabernaculi erectione. Titulus talis est: Incipit Exodus. Vocat enim grece Exodus: latine exitus / siue itinerrari. Quod enim interpretatur iter / siue via. Hebraice Elle sinoth. i. hec sunt nomina. Et forte nomen a principio sue narrationis / sicut et ceteri libri hebreorum: qui omnes libros suos a principio denominant.

Explicit Prologus.

Esdra

Numeri. 12. 8.